
UC-NRLF

QUAESTIONES SILIANAE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM SCRIPSIT
ET
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE X. M. AUGUSTI A. MDCCCLXXXVI HORA XII
IN AULA LEOPOLDINA
PUBLICE DEFENDET

FERDINANDUS BUCHWALD
SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:

H. LINKE, DR. PHIL., GYMN. ELISAB. COLL.
P. WELZEL, DR. PHIL., GYMN. REG. AD AEDEM ST. MATTH. COLL.



GORLICII 1886
TYPIS HOFFMANNI & REIBERI.

MARTINO HERTZ

HUNCCE LIBELLUM PII GRATIQUE ANIMI DOCUMENTUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.



I. Quaestiones chronologicae.

Quamquam non desunt viri docti, qui in carmine Siliano sive interpretando sive ad codicum optimorum lectionem revocando egregiam operam collocaverunt, tamen nullus vir doctus, quantum scio, accuratius perscrutatus est, quo tempore Silius Italicus carmen suum condiderit. Quod in libro tertio Punicorum inde a versu 594 usque ad versum 629 gentis Flaviae inprimis Domitiani laus exstat, homines docti adducti esse videntur, ut putarent Domitiano regnante a Silio carmen compositum esse. Qua in sententia non solum Ruperti et Ernesti, proximi saeculi editores optime de Silio meriti acquieverunt, sed etiam recentioris aevi viri doctissimi, G. Cosack, G. Thilo, non aliter videntur sensisse, cum nullo loco libellorum suorum hanc rem ne leviter quidem attigerint. Quinque tantum locis aliud iudicium, sed infirmae coniecturae nullis sive levibus argumentis fultae specie inveni. E. Wezel[1]) et H. Blass[2]), ubi de illa dissertatione iudicium tulit, nisi loco illo libri tertii supra laudato, coniectura assecuti sunt Silii carmen ante annum p. Chr. 96 aut 98 ad finem non esse perductum. Praeterea H. Blass l. l. strictim adnotavit libros Silii ante annum 84 fortasse inceptos esse. Teuffel[3]) quamquam in limine paragraphi dicit: Unter Domitian bearbeitete sein Epos über den zweiten punischen Krieg Silius Italicus, tamen

[1]) diss. „de Silii Italici cum fontibus tum exemplis“ pag. 104.
[2]) annall. phill. vol. 109, pag. 497, adn. 14.
[3]) R. L. G. [4] § 320.

in adnotatione tertia, se ipse, ut ita dicam, emendans, conicit: Vielleicht dem Nerva gilt am Schlusse von XIV:

at ni cura viri, qui nunc dedit otia mundi
effrenum arceret populandi cuncta furorem
nudassent avidae terrasque fretumque carinae. —

Friedlaenderus[1]) chronologicam quaestionem attigit his verbis: „Silius nennt den Sohn Domitians in den damals, (Martial IV, 14 i. e. anno 88) wo nicht ganz, doch bereits teilweise vollendeten Punica III 627 sq. sidereum — natum.

Quae modo commemoravi, iam ante annum h. s. LXXVIII, quo hanc rem iam pertractaveram, eisdem fere verbis — perpauca mutavi — scripta erant. Ex iis libellis, qui post illum annum in lucem prodierunt, ad hanc quaestionem pertinet tantum locus e dissertatione Schinkelii[2]) petitus: . . . . „cum Silius . . . . maximam certe carminis partem eisdem temporibus composuerit, quibus Quintilianus et Tacitus sua scripserunt.“ In adnotatione exstant haec:

„Libro III, v. 607—629 imperator Domitianus laudibus „effertur, qua re hic locus post annum LXXXI conscriptus „est; porro libro XIV (687—689) imperatoris Nervae (— non „Domitiani, ut alii perverse statuerunt —) laus continetur, „ita ut hic liber post annum XVIC compositus sit. Jam „si recte sumimus, id quod e Servii (vita Verg. p. I R.) „et Donati (p. LX. R.) loco, e Thebaidos XII 812 et e „Dialogi Tacitei capite IX conicio, Silium singulis Puni- „corum libris elaborandis unius fere anni spatium impen- „disse, primum carminis librum circiter annum octogesi- „mum quartum condidit, annum agens quinquagesimum „sextum“ — in eo ratio auctorem fefellisse videtur, cum Silium anno 25 p. Chr. natum esse constet — „de quo „Martialis suo iure dicere posset ep. VII, 63: emeritos „Musis et Phoebo tradidit annos.“

„Qua cum coniectura bene congruunt loci e libris III „et XIV laudati, e qua liber III fere anno LXXXVII, liber

[1]) Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms etc., vol. III[5] p. 442.
[2]) Quaestt. Silianae diss. Lips. 1883 p. 7 et adnot.

„XIV anno XVIIC compositus sit, sed oppugnat, quod „Martialis liber quartus, in quo Punica laudantur (IV, 14) „virorum doctorum sententia (cfr. Friedlaender l. l. III p. 430) „anno duodenonagesimo iam prodiit. Putaverim igitur „Martialem illo tempore non totum Silii carmen, sed car- „minis partem vel eius consilium cognitum habuisse.“

Quamquam auctorem eadem fere coniciendo assecutum esse gaudeo, quae ego iam ante hos octo annos viris doctissimis ad scientiam iuvenum litterarum studiosorum temtandam ordinatis proposui, tamen opera mea in hanc rem rursus inquirendi vix futtilis sit, cum et argumenta satis firma, quae in illa dissertatione desunt, proferre possim, et nonnulla, quae Schinkelius praetereundo vix leviter perstrinxit vel plane omisit, accuratius excusserim vel addiderim.

Ac primum quidem de libri tertii versibus 607—629 dicendum est, quibus Domitianus summis laudibus iisque in summam turpemque adulationem compositis effertur. Qualis sit horum versuum conexus cum antecedentibus, paucis explicare mihi liceat: Hannibali Alpes transgresso cum aditus ad Romam patere videretur, Venus, Romanis dilectis valde timens, Jovem precibus adit. Qui eam solaturus vaticinantis in modum exponit bellum Romanis bene eventurum et imperium Romanum longo temporum spatio intermisso Flaviis regnantibus altissimum gloriae et potentiae gradum ascensurum esse. Vespasiano et Tito inde a v. 597—606 — decem tantum versibus — collaudatis, poëta viginti tres versus — inde a v. 607—629 — ad Domitianum maximo verborum ornatu praedicandum adhibet. Ex quibus quid lucri in nostram disputationem emanet, facile intellegetur, si singulas laudationis partes accuratius pertractabimus, id quod eo iustius fieri videtur, quod in commentariis editionum non satis perspicue illae explicatae sunt.

Versus 607 spectat ad res, quas a Domitiano in Chattis anno 83 gestas esse Mommsenus[1]) demonstrat. Domitianus ex hoc bello reversus cum simularet se victoriam reportavisse

[1]) Röm. Gesch. vol. V. p. 316.

a Chattis, triumphus summo cum splendore et magnificentissima cum pompa celebratus cognomenque Germanicus ab eo sumptum est. Versu 608 animum advertit poëta ad bellum cum Julio Civili annis 69—71 gestum, cui Domitianus Muciano duce interfuerat. Quod anno septuagesimo iuvenis, Capitolio a Vitellianis victoribus incenso, in periculum vitae vocatus est, ad id pertinent versus 609 et 610. Non sine inhonestissima adulatione poëta vv. 612 et 613 exaggerat res, quas Mommsenus[1]) explicat. Terentius Maximus quidam, Vespasiani temporibus imperii aemulus, qui simulabat se Neronem esse, primo a Parthis adiutus, postremo ab iisdem imperatori Romano eo tempore ipso fasces tenenti, Domitiano, proditus est, qui ne parasset quidem arma contra Parthos.

Triumphi honores, qui propter illas victorias seu reportatas seu non reportatas imperatori contigerunt, vv. 614 et 615 significantur. Deinde Sarmatici belli mentionem facit Silius versibus his:

„Idem indignantem transmittere Dardana signa
„Sarmaticis victor compescet sedibus Istrum.“

Quae sequuntur, non est quod interpretemur, cum per se satis perspicua sint et ad nostram quaestionem non attineant. Sed qui rerum Domitianarum satis peritus est, requiret apud Silium commemorationem belli cum Dacis gesti, nisi forte is cum Rupertio putat v. 614 duplicem triumphum de Chattis **Dacisque** innui, quam viri doctissimi coniecturam tum tantum probare possum, si sumendum est Silium veritatis quodam amore adductum esse, ne victoriam illam de Dacis, quae a Domitiano ficta erat, pluribus verbis praedicaret. Sed quomodocunque res se habet, in eo acquiescere malim, quod vv. 616 et 617 satis aperte demonstrant, Sarmatas illo tempore, quo Silius hanc carminis partem scripsit, a Domitiano victos fuisse. Quo anno Sarmatae domiti essent, Stobbe[2]) luculenter docuit, quem L. Friedlaender[3]) sequitur his verbis: „Dieser (Sarmatische) Krieg ist nicht, wie ich nach Clinton

[1]) l. l. pag. 396 sq.
[2]) Philol. vol. 26 (1867) p. 48—51.
[3]) l. l. p. 432.

früher angenommen habe, in's Jahr 93, sondern wie Stobbe 48—51 nachgewiesen hat, in's Jahr 92 zu setzen, in dessen Mai also Domitian auf den Kriegsschauplatz abging, im Herbst den Titel imperator XXII annahm und dann an die Rückkehr dachte." Itaque versus illos 616 et 617 non ante autumnum anni 92 p. Chr. scriptos esse constat.

Ut vero certius tempus definiamus, a Silio destituti, ad Martialis epigrammata confugiamus, ex quibus haec ad Silium data sunt: IV 14, VII 63, VIII 66, IX 86, XI 48 et 49 (Schneidewin). Praeterea strictim de Silio dicit libr. VI, epigr. 64,10.

Quem carminum numerum, quibus Silius eiusque filii celebrabantur, non est quod miremur, si et temporum illorum condicionem et, quae Martialis propria sunt, respicimus. Cum enim ex divi Augusti temporibus poëtae imperatoribus virisque qui plurimum in republica pollebant, assentari quin etiam eos adulari solerent, tum fieri non potuit, quin Martiali, quem in angustiis rei familiaris versatum esse constat, grate omnis occasio occurreret, se in divitum pollentiumque hominum gratiam insinuandi. Silium vero inter divites nobilesque homines illius aetatis referendum esse ex Plinii epist. III, 7 elucet, in qua haec ad nostra spectant: § 3 in Vitellii amicitia sapienter se et comiter gesserat, ex proconsulatu Asiae gloriam reportaverat. — § 4 Fuit inter principes civitatis sine potentia, sine invidia. — § 8 plures iisdem in locis villas possidebat adamatisque novis priores neglegebat. multum ubique librorum, multum statuarum, multum imaginum.

Sed ut eo revocetur, unde huc declinavit oratio, ex illis carminibus, quae supra commemoravi, sexagesimum tertium libri VII nostrae disceptationi lucem afferre videtur. Nam cum in initio carminis hi versus legantur:

„Perpetui numquam moritura volumina Sili
Qui legis et Latia carmina digna toga" . . . .

non est quod dubitemus, quin eo tempore, quo illud scriptum erat, iam Silii carmen vel pars eius non solum contexta, sed etiam publici iuris facta sit. Quoniam vero Friedlaenderus, cuius viri doctissimi summae diligentiae

miraeque sagacitati multum debeo, satis luculenter demonstravit librum septimum a Martiale Decembri anni 92 editum esse, nostrum epigramma ante Decembrem illius anni compositum fuisse necesse est. Itaque cum supra versus 616 et 617 libri tertii carminis Siliani non ante autumnum anni 92 p. Chr. scriptos esse coniciendo statuerimus, sequitur vel partem operis Siliani vel totum carmen inter autumnum et initium hiemis i. e. aut Mense Octobri aut Novembri anni 92 in publicum pròdiisse et Martialem paulo post Silium his versibus honorificis prosecutum esse. Qua in sententia ut perseverarem inprimis me commovit color totius epigrammatis, qui mihi is videtur esse, ut Martialis non solum Silium eximia laude celebrare, sed etiam, quae ad personam poëtae pertinebant, qua esset dignitate, amplitudine, auctoritate, ut ita animos aequalium suorum ad Silii carmen verteret eosque quasi praeoccuparet, monstrare voluerit. Quo spectant, quae de prioribus studiis et occupationibus Silii eiusque honoribus dicit, eum Ciceronem ceteris oratoribus omnibus anteposuisse ipsumque summum oratorem evasisse, multum in foro, multum in centumvirali iudicio cum gloria versatum esse, ad summam reipublicae dignitatem pervenisse, priusquam in Vergilii vestigiis insisteret. Quae apud Martialem ita inveniuntur:

v. 5. Sacra cothurnati non attigit ante Maronis
Implevit magni quam Ciceronis opus.
Hunc miratur adhuc centum gravis hasta virorum
Hunc loquitur grato plurimus ore cliens.
Postquam bis senis ingentem fascibus annum
Rexerat, asserto qui sacer orbe fuit,
Emeritos Musis et Phoebo tradidit annos
Proque suo celebrat nunc Helicona foro.

At quoniam epigr. 63 libri VII ad aliquot libros a Silio editos pertinere censuimus, quid statuemus de epigr. 14 libri IV? Quo opus Silianum et ipsum describi facile suspicetur aliquis initium carminis perlegens, in quo exstant versus:

Sili, Castalidum decus sororum,
Qui periuria barbari furoris

Ingenti premis ore perfidosque
Astus Hannibalis levesque Poenos
Magnis cedere cogis Africanis.

Quibus verbis cum totius carminis Siliani summa designetur et singula verba ipsa ex Silio sumpta esse videantur, suo iure aliquis coniciat Martiali iam illo tempore, quo epigramma composuerit, Silii carmen totum vel eius partem quandam ante oculos fuisse. Quam sententiam quomodo refutemus, nunc videamus. Primum quidem ea, quae versibus exprimi a Silio Martialis dicit, non necesse est hunc ex opere sibi proposito cognovisse, sed facillime fieri potuit, ut ex amicis Silii vel recitationibus, id quod veri similius est, comperiret. Quae cum ab Asinio Pollione Augusti temporibus constitutae ab initio spernerentur ita ut laudi tribueretur, si quis coram populo declamare atque recitare noluisset, tamen postea increbrescebant et ad pompas quasi litterarias accedebant. A quibus non abhorruisse Silium et per se satis certum est et Plinii epist. 7, libr. III confirmatur, ubi haec verba inveniuntur: „Nonnumquam iudicia hominum recitationibus experiebatur."

Martialem, quamquam nondum ad consuetudinem Silii adductus erat, his recitationibus interfuisse ex eo perspicuum est, quod cum recitationes Domitiani aetate plerumque ostentandi causa magis quam iudicia hominum eruditorum experiendi causa fierent et nonnullorum auctorum tanti interesset ad quam maximam auditorum frequentiam opera recitare, ut pecunia data coronam conducerent, quae paene ad unumquodque verbum applauderet, Martialis pergratum Silio fecit, cui rei summo opere studebat, quod recitationes Punicorum non sprevit. Itaque censeo Martialis versus illos non ad Silii libros iam emissos referendos esse, sed ad Silium etiamtum in carmine conscribendo versantem, id quod manifeste demonstrat:

v. 6. Paulum seposita severitate
v. 11. Nec torva lege fronte sed remissa
Lascivis madidos iocis libellos.

Petit igitur a Silio Martialis, ut operam gravem et severam in carmine pangendo collocatam intermittat libellos suos otiose legendo.

De singulis vero vocabulis, quae ex Silio petita videntur, non est quod fusius explicemus: nam si accuratius comparavimus, invenimus nulla vocabula nisi „perfida" et „astu" Silio cum Martiale communia esse, quae Martialem suo ipsius ingenio fingere potuisse, quis est qui neget?

Neque in audaciae crimen incurrere mihi videor, si conicio, quam coniecturam iam a Friedlaendero[1]) in transcursu captam esse gaudeo, hoc epigramma eo spectasse, ut Martiali aditus ad domum Silii aperiretur, quae adhuc ei non patuerat. Quae coniectura nescio an non solum eo firmetur, quod temporis ratione habita primum est eorum, quae ad Silium data sunt, — Martialis enim epigrammaton libros, servato temporum ordine, editos esse praeter librum XIII et XIV satis luculenter demonstravit vir illustris L. Friedlaender[2]) — sed etiam eo, quod Martialem id simul cum libellis qui „lascivis iocis madidi" essent, Silio misisse ex ultimis carminis versibus apparet. Friedlaenderus[3]) conicit Martialem aestateanni 88 p. Chr. prope sinum Neapolitanum aliquamdiu commorantem cum Silio primum convenisse. Itaque ut paucis complectar, quae modo demonstrare conatus sum, a Silio vel tota Punica vel partem quandam editam esse libri VII epigrammate 63 indicari, quam editionem factam esse anni 92 aut mense Octobri aut Novembri supra probabiliter exposuisse mihi videor.

Sed cur Silius hoc ipso tempore carmen suum vel partem eius ediderit, haud difficile erit explicare. Cum Domitiani reditus ex bello Sarmatico mense Decembri anni 92 instaret, id quod ex versibus Martialis elucet, qui in libri VII epigr. VIII ita leguntur:

„Nunc hilares, si quando mihi, nunc ludite, Musae,
Victor ab Odrysio redditur orbe deus.
Certa facis populi tu primus vota, December,
Jam licet ingenti dicere voce „Venit".

---

1) l. l. p. 395 adn. (IV 14: „vielleicht das Einführungsgedicht").
2) l. l. pag. 424—440.
3) l. l. pag. 430.

Silius imperatori assentandi causa, qualis erat temporum illorum mos, versus illos libri tertii composuisse videtur, ut iis imperatorem in urbem intrantem quasi salutaret. Nescio an simul poëta libros aliquot Domitiano dedicaverit. Quam suspicionem haut inanem esse ex eo intellegi potest, quod aestate anni 93 filius maior Silii consul designatus erat. Quam temporis definitionem debeo viro doctissimo Stobbe, quem sequitur L. Friedlaender[1]) haec dicens: „Das Consulat, das Domitian dem einen der beiden Söhne des Silius verlieh, fällt nach einer Bemerkung von Stobbe wol in das letzte Nundinum des Jahres 93“ et paulo infra: „also bleibt für Silius nur das letzte Nundinum vom 1. Sept. ab frei.“ Martialis epigramma 66 libri VIII, quem Friedlaender[2]) anno 93 p. Chr. emissum esse docuit, et quae aliis locis de consulibus huius anni commemorantur, viris doctissimis huius temporis determinandi ansam dederunt.

Martialis enim l. l. Silio gratulatur, quod filius pariter ac prius pater in consulatum, summum reipublicae honorem, pervenerit. Quid igitur magis consentaneum sit id respicienti quam coniectare Domitianum quasi gratiam ferendi causa Silio, quod laudes suas eximie celebrasset, filio eius illum honorem tribuisse? Itaque hunc consulatum filii poëtae non leviter quam supra protulimus sententiam de editione totius carminis vel partis cuiusdam adiuvare puto.

Quaerenti nunc iam mihi, utrum totum carmen Silius publice proposuerit an partem quandam, primum statuendum est fieri non potuisse, ut totum carmen anno 92 p. Chr. ederetur. Cuius rei certissimum invenimus testimonium in fine libri XIV inde a v. 683:

„Felices populi! si quondam ut bella solebant
Nunc quoque inexhaustas pax nostra relinqueret urbes.
At ni cura viri, qui nunc dedit otia mundi,
Effrenum arceret populandi cuncta furorem,
Nudassent avidae terrasque fretumque rapinae“.

---

[1]) l. l. p. 434.
[2]) l. l. p. 433.

Priusquam quid sentiam de his versibus explicem, sententiarum conexum paucis exponam.

Marcellum, cum Syracusis expugnatis parcere constituisset, „aemulum ingenii Superum“ Silius appellat v. 680 et optat ut exemplum et decus insignis clementiae etiam inter posteros vigeat, quod imitandum sibi huius temporis homines proponant, quo ne pax quidem „inexhaustas relinquat urbes.“

Versus, qui sequuntur, ad imperatoris alicuius laudes pertinere pro certo habeo. Sed utrum Domitianum an Nervam adumbraverit poëta, adhuc non accuratius quisquam indagavit. Teuffel quidem l. l. conicit fortasse poëtam Nervam his versibus respexisse et Schinkelius[1]) strictim hanc quaestionem attigit verbis supra (pag. 2) allatis, sed nihil addiderunt viri docti ad sententiam suam confirmandam, quod munus ego suscipiam atque eo libentius, quod mihi persuasum est coniecturam illam certissimam esse.

Neque enim quisquam, qui locum illum libri III, quo Domitianus summis laudibus effertur, cum nostro composuerit, non intelleget, vel primo oculorum obtutu, colores dicendi plane diversos esse, illum locum artificiose esse ornatum atque verborum pompa tumentem videlicet adulationis causa, hunc splendore nimio et pigmentis carentem veritatem sapere. Num putandum est Silium ita simpliciter Domitianum laudasse, qui imperator se ut deum coli non solum passus sit, sed etiam iusserit?

Ad id argumentum aliud accedit nec minus grave. Ut Domitianus ex Suetonii verbis[2]) „super ingenii naturam inopia rapax, metu saevus“ erat, ita Nerva liberalis, benignus facilis, clemens senex, qui non modo ipse ab iniuste quid faciendo abhorrebat, sed quae detrimenta rapacitas et saevitia Domitiani non paucis intulerat, resarciebat, quam maxime poterat; revocabat, qui a Domitio in exsilium eiecti erant, colonias deducebat inopiae plebis levandae causa, vel ipse

---

[1]) l. l. p. 7 adn.[2]

[2]) Domit. c. 3.

quo magis liberalitati indulgere posset, multas res pretiosas e regia domo promptas vendebat. Itaque ad hunc virum versus illi maxime quadrant.

Qua disceptatione profligata cum statuendum sit anno 92 p. Chr. non potuisse **totum** carmen a Silio publici iuris factum esse, quaeritur — quod proximum videtur esse — num libri tres primi soli a Silio editi esse possint. Quam coniecturam quamquam speciem quandam similitudinis veri prae se fert, idcirco quod libri tres primi facillime a ceteris libris separari possunt et laudatio illa Domitiani, quam paulo ante editionem librorum litteris consignatam esse supra docuimus, in fine libri terti exstat, tamen non rectam esse opinor. Nam si id fecisset Silius, putandus est prooemium operis sui separatim edidisse; quasi prooemii enim munere tres primos libros fungi intellegi potest ex argumentis librorum, quae attenuate presseque explicare mihi liceat.

Primo libro Carthaginis, cuius patrona quam maxime provida Iuno est, origine descripta et trium ducum Poenorum, Hamilcaris, Hasdrubalis eius generi, Hannibalis filii ingenio atque indole enarratis non sine fabularum ornatu, Silius Hannibalem, Iunone excitante, Saguntum oppugnantem facit. Saguntini, viribus prope confectis, Romam legatos mittunt auxilium petituros. Senatui Romano de tradendo Hannibale Carthaginem legationem mitti placet. Quae pugnae singulares ante Saguntum commissae sint, quo modo bellum a legatis Romanis in senatu Carthaginiensi indicatur, Saguntum, diis — Iunone, Hercule, Fide — ipsis praesentibus et Tisiphone furia desperationem Saguntinorum in rabiem vertente, expugnatum sit, secundo libro narratur.

Sagunto deleto Bostar in Libyam mittitur ad oraculum Iovis Hammonis, Hannibal Gades profectus uxorem Imilcen aegre commovet, ut cum filiolo in patriam redeat; ipse a Mercurio somnio ad bellum Romanis inferendum excitatus noto itinere ad Alpes pervenit, in quarum iugum duodecimo die Poeni ascendunt. Venerem de Romanorum salute sollicitam Iupiter oraculo, quod supra accuratius explicavimus, consolatur.

Quae Hannibali, qui Alpibus superatis in Taurinis castra posuit, Bostar ex Africa reversus nuntiat de eventu belli instantis, in fine libri tertii exponuntur.

Quarto denique libro historia belli in Italia gesti incipit.

Sed quoniam libros tres primos non separatim a Silio emissos esse pro explorato habemus, quot libros anno 92 in lucem prodiisse putemus? Quae quaestio sane difficillima esse mihi videtur neque, quae est adhuc ansarum et adminiculorum ratio, ad liquidum mihi perducenda. Cum in priore disceptatione non tam in Silio quam in Martiale aliquid adiumenti invenerimus, in hac et a Martiale prorsus destituimur et quae Silii carmen praebet, non sufficiunt ad firmum fundamentum coniecturae iaciendum.

Ante omnia ponendum est historiam belli Punici secundi facillime in duas partes dividi posse; altera nostris oculis proponi Romanos cladibus deinceps acceptis confectos, altera, qua fuerint virtute et constantia, rursus miranda celeritate refectos et victores. Hac re probata, clade Cannensi quasi termino priorem partem circumscribi, et omnia quae post illam summam calamitatem facta sunt, in secundam partem cadere nemo est qui neget.

Mihi ita reputandi peropportune occurrit quod libro undecimo incipit Silius eas res, quae cladem Canensem subsequebantur, enarrare. Itaque non multum abest, quin coniciamus, corpus decem librorum anno **92** p. Chr. editum esse, quae suspicio nescio an eo adiuvetur, quod exordium quoddam ante res libri XI narrandas positum est:

„Nunc age quos clades insignis Iapyge campo,
„Verterit ad Libyam populos Sarranaque castra,
„Expediam.“

Cui coniecturae etiam magis favere videntur ultimi versus libri X:

„Haec tum Roma fuit, post te cui vertere mores
„Si stabat fàtis, potius Carthago manores.“

Antecedentibus enim versibus inde a versu 640 Silius narraverat senatum Romanum cuius animi publica miseria non infracti erant, servos et „primaeva suorum corpora“

armasse, captivos non pecunia redemisse, eos vero, qui in pugna fugerant, poenae causa in Siciliam missos esse, ut ibi manerent, donec „Latio dedeceret hostis". Quid magis convenerit in finem partis operis, qua poeta infamiam cladium deinceps acceptarum descripserat, quam ista celebratio morum Romanorum et indolis Romanae, qua fieri potuit, ut civitas vel maxime debilitata et confecta de integro surgeret et victrix exsisteret? Itaque quae supra coniectura assecutus sum, verisimilia esse puto.

Nec vero non alia ratiocinatione ad idem pervenimus. Cum statuerimus librum XIV Nerva imperatore conditum esse, proclivis est coniectura Silium anno 97 p. Chr. illum ad umbilicum perduxisse. Librum XIII paulo ante quam sequens liber inciperetur excusum esse et per se manifestum est et demonstrare videntur versus 605—608 libri eiusdem qui quomodo cum antecedentibus cohaereant, paulo accuratius explicemus. Scipio iuvenis cum nuntio de patre et patruo in Hispania interfectis accepto dolore afflictus ad longaevam sacerdotem Antinoën ivisset, ea auctore sacris rite factis manes excitat. Occurrit ei post umbram Appii Claudii consulis ante Capuam ex vulnere mortui umbra Sibyllae Cumanae, quae fata iuvenis exponit et Stygiae formidinis aulam aperiens cum alia ostendit tum reges a Plutone iudicatos.

Sequuntur hi versus:

v. 605. „Quam vellent numquam sceptris fulsisse superbis!
„Insultant duro imperio non digna nec aequa
„Ad superos passi manes quaeque ante profari
„Non licitum vivis tandem permissa queruntur."

Quamquam Rupertius ad hunc locum adnotavit versus ex Seneca[1]) petitos:

„Vidi cruentos carcere includi duces
„Et impotentis terga plebeia manu
„Scindi tyranni."

tamen non facile quis viro doctissimo assentiatur, si versus

[1]) Herc. fur. p. 741 sqq. (ed. Peiper — Richter.)

afferendo significare voluerit Silium ex Seneca locum petiisse. Mihi contra Silius ex se ipse hausisse videtur iratus sceleribus tyranni illius Domitiani, a quo, ut Taciti (Agric. 2) verbis utar, ademptum erat per inquisitiones etiam loquendi audiendipue commercium. Quae cum fuerit temporibus illis vitae ratio, quis porro opinetur Silium hos versus sine discrimine vitae, Domitiano vivo, scribere potuisse? Itaque puto continuo post Domitianum mortuum i. e. post Septembrem anni 96 p. Chr. scriptam esse hanc **posteriorem** partem libri, cum iusta ira atque odium in pestem illam reipublicae effervescere posset atque **priorem** partem, multo maiorem, fortasse inde a fine anni 95 usque ad extremos menses sequentis anni.

Sed quos libros inde ab anno 93 usque ad finem anni 95 poëtam pepigisse putabimus? Si Silio duo anni inde a fine fere anni 95 usque ad extremos menses anni 97 suffecerint ad duos libros (librum XIII et XIV), in quibus 1579 versus insunt, condendos, vix me fefellerit opinio inde ab anno 93 usque ad exitum anni 95 duos etiam libros, XI et XII, confectos esse. Quos ad pangendos quod Silio spatium prope trium annorum tribuimus, non temere fecisse nobis videmur, quod et poëtam non assiduam operam in carmine suo collocasse per se patet, et rebus publicis et privatis eum intra hos annos a scribendo abstractum esse verisimile est.

Nam cum Silius ipse vir consularis multos Romanos nobilissimos, qui in republica versabantur, secum familiaritate coniunctos haberet, et filius, ut supra docuimus, anno 93 consul esset, poëtae animum rebus publicis occupatum esse facile est conicere. Quo vero tempore magis animi Romanorum aliquid pollentium commoveri et occupari potuerunt quam quo — ut Tacitum (Agric. 44 ed. Haase) sequar — „Domitianus non iam per intervalla ac spiramenta temporum sed continuo et velut uno ictu rempublicam exhausit", quo cotidie fere vel mors vel exsilium amici vel cognati nuntiabatur, quo unaquaque hora vita divitis et potentis hominis Romani in discrimen veniebat. Quam immanem et continuam crudelitatem Domitiani anno 93 exstitisse atque inde, ut ita dicam, viguisse constat.

Sed non solum clade ista publica sed etiam privata animum Silii hoc tempore distentum ac divulsum esse verisimile est. Filius enim minor natu Severus morte abreptus est anno 94 p. Chr. vel extremo anno 93, quod collegit Friedlaenderus[1]) e Martialis libri IX. epigrammate 86. ad Silium dato, quo Martialis Apollinem ipsum et gregem Pierium secum mortem iuvenis deplorantem facit. Quibus calamitatibus et publicis et privatis cum Silius aliquantum temporis devinctus putari possit, certe fieri potuit, ut tres fere anni praeterirent, priusquam librum XI et XII qui ex 1363 versibus constant, confecisset et perpolivisset.

Plinius, ut ad rem a nostra quaestione alienam transeamus sed quam ad nostrum lucrum revocabimus, epistulae illius paragrapho 6 dicit de Silio: „novissime ita suadentibus annis ab urbe secessit seque in Campania tenuit ac ne adventu quidem novi principis inde commotus est.“ Verbis: „ita suadentibus annis“ nisus H. Blass[2]) suspicatus est Silium circiter annum 84 vel 85, senem sexaginta annorum in Campaniam demigrasse, quod iecisse magis quam serio coniecisse mihi videtur vir doctissimus. Neglexit enim plane, ut alia omittam, quae coniecturae illi obstant, voculam: „novissime“, quam pertinere non posse ad tempus, quod non minus 17 vel 16 annis ab eo quo Plinius epistulam scripsit anno — annum 101 p. Chr. dico — distabat, nemo est qui neget. Illi adverbio magis convenire videtur, quod mihi in mentem venit, autumno anni 94 vel vere anni 95 Silium in villas suas se recepisse.

Nec non causas satis graves ad senectutem summam, quam Plinius affert causam, accessisse suspicor, quae poëtam commoverent, ut se in otium et tranquillitatem vitae rusticae referret: primum quod dominatio Domitiani in dies magis saeviebat, deinde quia, consulatu filii maioris peracto, altero filio defuncto, nihil erat, quod eum Romae teneret. Peropportune praeterea mihi accidit, quod in Martialis epigrammaton libro

---

[1]) l. l. p. 435.

[2]) annall. phill. vol. 109 pag. 497 adnot. 14.

XI duo epigrammata, duodequinquagesimum et sequens, ad Silium scripta inveniuntur. Qui cum liber Decembri anni 96 in lucem prodierit, ut Friedlaenderus[1]) demonstravit, epigrammata duo intra annum 96 composita esse facile est intellectu. Si quis haec epigrammata legerit, facillime concedet ea ad Silium iam assidue rusticantem missa esse. His concessis statuendum est anno 96 Silium in amoenis Campaniae regionibus iam habitasse.

Quoniam vero, a libro XIV quasi termino regressi, coniectura eruere studuimus, quo tempore libri XI, XII, XIII, conscripti essent, nunc progrediamur ad libros XV, XVI, XVII. Cum me non fugerit Silium poëticum ornatum et vim sectantem multa sive perquam leviter perstrinxisse sive prorsus silentio praeteriisse, quae neque ornatum admitterent neque vel ad animos lectorum movendos et delectandos vel ad utriusque populi atque belli fortunam mutandam quidquid momenti haberent, — praetermisit enim silentio, ut unum afferam, res paulo ante proelium Cannense variis Italiae locis gestas, quarum quasi loco episodium illud longum de bello Punico primo libro VI intexuit —, tamen in libro XV et sq. Silius multo saepius res, quae apud Livium inveniuntur, narrare omisit. Quamquam intellego id ea de causa inprimis factum esse, ne carmen in nimis amplum corpus excresceret cum taedio lectorum, tamen neque alia eum omissurum neque alia tam breviter tractaturum fuisse puto, nisi celeriter opus suum ad finem perducere voluisset. Huc spectant loci nonnulli libri XV: inde a versu 230 enim Silius narrat Carthaginem a Scipione Africano oppugnatam tam paucis omnique colore carentibus verbis, ut facile cogitatio animum subire possit, Silium de industria ingenio suo ad res vario ornatu distinguendas proclivi moderatum esse. Quae cogitatio eo magis probanda esse mihi videtur, quod Livius, cuius vestigiis Silium non solum in rerum gestarum dispositione, sed etiam nonnumquam in rebus singularibus ingressum esse constat[2])

---

[1]) l. l. pag. 436.

[2]) cfr. Cosack Quaestt. Sil. p. 23 et 24.

libro XXVI c. 44 et 45 Scipionem non solum virum magnae fortitudinis, sed etiam magnae prudentiae — vertit enim aestum sua sponte in mare cedentem in prodigium ac deos — oculis lectorum proponit. Quam occasionem heroem posterioris Punicorum partis aptissime et suavissime celebrandi non praetermissurus fuisse poëta mihi videtur, nisi intellexisset paucis ea quae Livius narrat absolvi non posse.

Nec non brevitatis studii vestigia me invenisse opinor in narratione de Tarento a Fabio Maximo per proditionem recepto eiusdem libri v. 320—333. Cum amor mulierculae, cuius frater in exercitu Fabii consulis erat, praefectum praesidii Tarentini commoverit, ut arcem Romanis proderet, haec occasio ornatus machinas moliendi a Silio non in usum vocata magis aptior erat, quam multae aliae, quibus usus est Silius in antecedentibus libris. Praeterea eodem libro breviter tractavit historiam belli a Romanis gesti cum Philippo, rege Macedonum.

Maiore etiam brevitate utitur Silius in libro ultimo, cuius exempla afferam. Initio libri postquam septem versibus oracula fatidicae Sibyllae exposuit — Cybeles symbolum Pessinunte, ex oppido Phrygiae, Romam traducendum traductumque excipiendum esse ab eo, quem optimum virum elegerit senatus Romanus — versu octavo lectores in medias res abripit „omnibus missis, quae in tali re fieri, deliberari, praeparari solent", cum dicit:

v. 8. „Jam petita aderat Latia portante Cybebe
„Puppe."

Deinde versu 48 Silius Scipionem de Sicilia decedentem facit, rebus quas in Sicilia et in Bruttio agro ab eo gestas esse constat, plane praetermissis. Traiectionem Scipionis in Africam paucis versibus attigit neque mentione dignas putavit res, quas huic molimini antecessisse Livius pluribus narrat. Maxime vero studium quam celerrime opus suum ad finem qualibet ratione perducendi poëta retexisse mihi videtur in vv. 290 sqq. Ibi cum narraverit Venerem a Neptuno precatam esse, ne Hannibalem Carthaginem reversurum undis opprimeret, sed Romanis vincendum relinqueret, sic pergit:

v. 290 sq. Sic Venus, et tumidi considunt gurgite fluctus
Obviaque adversis propellunt agmina castris.

Ex sententiis, quae de hoc loco ab interpretibus Silii prolatae sunt, eam asciscam, quae lacunam statuit, sed non longiorem versuum seriem amissam esse puto, sed unum vel duos versus, in quibus inerat subiectum valde nunc desideratum enuntiati, quod versu 291 comprehenditur. Itaque quamquam „lacunulam“ statui, tamen assentior viris doctis, qui censent poëtam hoc loco „grandem saltum fecisse“, qualem toto carmine vix similem inveniremus. Nec deest causa, qua Silium ita ad finem festinavisse putemus. Ad lucrum revocabimus, ut saepius, Plinii epistulam 7 libri III, cuius initio haec exstant: „modo nuntiatus est Silius Italicus in Neapolitano suo inedio finivisse vitam. Causa mortis valetudo. Erat illi natus insanabilis clavus, cuius taedio ad mortem irrevocabili constantia decucurrit et q. s.“ Valetudine igitur Silium impeditum esse apparet, quominus ultimos libros aeque ac priores perpoliret. Itaque non est quod dubitemus, quin libri XV, XVI, XVII tribus fere annis i. e. inde ab extremis mensibus anni 97 usque ad initium anni 100 p. Chr. confecti sint. Quoniam ex paucis indiciis testimoniisque collegimus libros inde a XI intra septem fere annos conscriptos esse, inde ab anno 93 usque ad initium fortasse anni 100, restat ut quaeramus, quo tempore libri decem priores exstiterint.

Hos libros non deinceps esse conditos mihi persuasit locus ille libri III, qui laudationem Domitiani continet. Cum satis demonstraverim illos versus non ante autumnun anni 92 scriptos esse, cui in mentem veniat, hoc ipso anno tres libros modo confectos fuisse? Sed fac poëtam tantum otii ante annum 92 p. Chr. in conscribendis tribus libris consumpsisse, num verisimile est eum ceteros libros, qui ex 10159 versibus constant, intra octo fere annos confecisse et perpolivisse? Equidem suspicor Silium, qui carmina scribebat „maiore cura quam ingenio“ initio unum librum non confecisse, priusquam alterum inciperet, sed nonnullorum librorum delineamenta tantum adumbrasse, deinde iterum atque iterum

meditatum, ubi occasio poëtae apta videbatur, episodia, fabulas, deorum interventiones et ministeria aliaque epica ornamenta intexuisse. Ita fieri potuit, ut decem libris longe maximam partem ad umbilicum adductis in tertium librum summas Domitiani laudes insereret. Quam coniecturam si quis probaverit mecum consentiet, erui non posse, quo tempore **singuli** libri conditi sint. Ne huic disquisitioni quidem, quo tempore Silius carmen suum componere inciperet, adiumenti quidquam invenire potui, nisi forte quis locos nonnullos Statii cum Silianis comparandos ad hanc quaestionem profligandam adhibet.

Priusquam meam sententiam explicem, liceat mihi locos Statii, qui Silii memoriam excitare possunt, afferre:

1. Silius I 231: Et redit infelix effosso **concolor auro.**	Stat. Silv. IV 7, 15 et 16 (Dübner) Pallidus fossor redit erutoque **concolor auro.**
2. Sil. I 532: Auditur gemitus **fractumque** in casside **murmur.**	Stat. Theb. X 323: expulit ingens Vina cruor **fractumque** perit in sanguine **murmur.**
3. Sil. II 417: Callaicae fecere manus: **it clamor ad auras.**	Stat. Theb. III 593: Bella animis bella ore fremunt: **it clamor ad auras.**
4. Sil. III 85: Emicet in Martem et **calcato foedere** victor.	Stat. Theb. III 208: Exuimus; nec adhuc **calcati foederis** Argos.
5. Sil. IV 191: irrita nulli Spicula torquentur; statque omne in corpore ferrum.	Stat. Theb. VIII 419: Nec locus ad terram telis, in corpora ferrum Omne cadit
6. Silius VI 146: Lucus iners	Stat. Theb. X 86: Lucus iners . . . . .
7. Sil. IV 164 sq.: Nondum etiam toto demersus corpore in amnem Iam caput adversae ponebat in margine ripae.	Stat. Theb. V 516: Saepe super fluvios geminae iacet aggere ripae Continuus squamisque incisus adaestuat amnis.
8. Sil. VI 223: Lingua micat motu atque adsultans aethera lambit.	ibid. v. 524: Incertusque sui liquidum nunc aethera lambit.
9. Sil. VII 344: Ferro detergent et dant mucronibus iras.	Stat. Achill. I 435: Attritu nigris addunt mucronibus iras.
10. Sil. VIII 246: Atque illi sine luce genus surdumque parentum Nomen	Stat. Silv. V 3, 116: Non tibi deformes obscuri sanguinis ortus Nec sine luce genus.
11. Sil. X 239: Imposuit scopulo atque undanti vulnere anhelans.	Stat. Theb. II 124: Nudat et undanti perfundit vulnere somnum.
12. Sil. XII 462: . . . . et rabiem prenso consumat in hoste.	Stat. Theb. VIII 578: . . . . . teneraque famem consumit in agna.

Permultos alios locos, qui in commentariis Rupertianae et Ernestianae editionis comparantur, praetereo, cum equidem similitudinem quandam in iis non invenerim.

Quae ratio inter Silium et Statium intercederet, ad liquidum perduxisse mihi videtur H. Blass[1]). Cum enim Silius et nobilis et dives vir fuerit, verisimile est Statium locis quibusdam ad Silium honoris causa respexisse, quod iudicium iam Godofredum Bernhardy tulisse Blass l. l. dicit. Ab hac sententia non multo afuisse videtur Frid. Ritschl[2]), qui duos illos locos (Sil. I 231 et Stat. Libr. IV 7, 15) Silii et Statii commemorans Statium imitatorem Silii nominat. Sed quamquam nonnulli loci speciem cuiusdam imitationis prae se ferunt et Statius a delicato, ut ita dicam, assentandi genere non abhorret, ita ut benevolentiae Silii captandae causa eius elegantiam vel suavitatem vel proprietatem dicendi sectari videatur, tamen nihil certi ex hac comparatione colligi posse puto ad quaestionem, quo tempore singuli libri decem priorum Silii conscripti sint, ad exitum ducendam.

Haec habui quae de disceptatione proposita dissererem. In his si qua inessent bona, quaedam mediocria, satis contentus essem.

---

[1]) l. l.

[2]) ind. lectt. Bonn. 1857 sq. pag. IV.

II. Emendationes Silianae.

H. Blass, qui de carminis Siliani re critica compluribus libellis optime meritus sit, praematura morte ereptum dolent omnes, qui in eo omnem spem posuerant fore ut Punica cum toto apparatu critico ederentur. Sed cum etiamnunc illius thesauri critici inopes simus, hos praecipue locos tractare liceat, qui vel adhuc nondum excitati sunt, vel ita corrupti, ut omnino coniectura tantum emendari possint, cum non sumendum sit iis locis, quos emendare iam viri docti priorum saeculorum conati sunt, qui codices non malos ante oculos habebant, satis integram lectionem ex novis codicibus haustum iri.

Lib. I v. 648—661.

Saguntini, obsidione Hannibalis in miserrimas adducti angustias, Romam legatos mittunt, quos Silius praeclaro splendidoque ornatu poëtico non tam condicionem patriae in fide Romanorum perseverantis deplorantes facit quam monentes, ut caveant Romani ab isto iuvene, qui maiora bella animo sibi proposuerit quam bellum contra unum Saguntum: Ita Silius:

v. 648. An tanti pretium motus ruptique per enses
Foederis hoc iuveni iurata in bella ruenti
v. 650. Creditis, ut statuat superatae iura Sagunto?
Ocius ite, viri, et nascentem exstinguite flammam,
Ne serae redeant post aucta pericula curae.
Quamquam o si nullus terror, non obruta iam nunc
Semina fumarent belli: vestraene Sagunto

v. 655. Spernendum consanguineam protendere dextram?
Omnis Hiber, omnis rapidis fera Gallia turmis
Omnis ab aestifero sitiens Libys imminet axe.
Per vos culta diu Rutulae primordia gentis
Laurentemque Larem et geneticis pignora Troiae
v. 660. Conservate pios etc.

Rupertius ad v. 653—657 adnotat recte sensum loci explicans: „Quod si vobis quoque nihil metuendum esset, et si belli, vobis imminentis, flamma non iam erumpere quasi e cineribus inciperet: nonne foederis religio originisque similitudo vos ad opem nobis ferendam incitare debet?“ Sed miror eum ceterosque interpretes fugisse orationis flumen versibus 656 et 657 inepte intermitti. Cum semel Silius abscesserit a periculorum commemoratione v. 653, quae urbi Romae ipsi instarent, nisi nascentem exstinguerent flammam, rursus memoriam excitat ut oratio, cuius membra ceterum arte inter se cohaerent, inconcinna exsistat. Loco igitur mea quidem sententia corrupto ita medebor ut post v. 652: Ne serae etc. hos duos versus ponam:

„Omnis Hiber, omnis rapidis fera Gallia turmis,
Omnis ab aestifero sitiens Libys imminet axe.“

Sermonis partibus sic in certum melioremque ordinem adductis, verba „aucta pericula“ hi versus quasi interpretaturi sequuntur atque eadem ratione verbis „consanguineam dextram“ continuo adiunguntur:

Per vos culta diu etc.

Lib. II. v. 333.

Cum legati Romanorum Fabio principe Carthaginem advenissent, contione convocata Hannon, summa invidia atque odio capitali in Hannibalem incitatus, suasit ut Carthaginienses a bello temere et perfidiose suscepto statim desisterent. Quem excipiens Gestar aliquis ex Barcina factione illum, ut rerum Romanarum studiosum, gravissime castigat his verbis:

v. 330 Concilione, inquit, Libyae Tyrioque senatu
Pro Superi! Ausonius miles sedet? Armaque tantum
Haud dum sumpta viro? nam cetera non latet hostis.

Nunc **geminas Alpes Apenninumque** minatur
Nunc freta Sicaniae et Scyllaei litoris undas etc.

Verba „geminas Alpes" exponit Dausqueius „fissas ab Hannibale, quasi duas ex unis factas", qua interpretatione ineptius quidquam vix inveniri potest. Sed meo qualicunque iudicio et ipsi interpretes alioquin sagacissimi N. Heinsius et Drakenborchius, quos Rupertius secutus est, in mirum vitium inciderunt. Ab Heinsio enim in editione Drakenborchiana haec adnotata invenimus: „Intelligo Alpes ipsas et Pyrenen. Mirus est interpretis stupor, qui cum Prudentii locum unice huc facientem adducat, nec illum percepit et hic mirifice est nugatus." Drakenborchius addit sententiae illius docti viri confirmandae causa locum ex Apollinari Sidonio petitum, quem afferre nullius momenti est. Licet enim „geminae Alpes" apud Prudentium ita interpreteris, quid valent exempla ista ex libris hominum multo inferioris saeculi, quam quo Silius vixit, petita ad nostrum locum? Equidem etiamsi periculum est, ne eandem „stuporis" vituperationem subeam, aliam interpretandi rationem proponam. Quod primum enim tenendum erat, prorsus neglexerunt doctissimi viri: Gestarem versibus 333 et 334 proferre, quae Hannon dixisset, itaque versus 333 et 334 ad orationem Hannonis ipsam referendos esse consentaneum est. Sed quid Hannon dixit de montibus illis Hannibali superandis? Acerbissime audaciam iuvenilem cavillans haec vociferatus erat:

v. 312. Scilicet immensae, visis iuvenalibus armis
Subsident Alpes! subsidet mole nivali
Alpibus aequatum adtollens caput Apenninus!

Quae descriptio Apennini satis dilucide demonstrare mihi videtur, quid nostro loco „geminas" significet. „Geminas" enim non solum pertinet ad Alpes, sed etiam ad Apenninum, ita ut significet idem quod „similes" sive „pares", quae significatio invenitur in eiusdem Silii libr. IV. v. 99:

Ambobus velox virtus **geminusque** cupido
Laudis etc.,

ad quem Rupertius adnotat: „geminus, similis, par, ut passim

apud Ciceronem.“ In hac igitur interpretatione acquiescendum esse puto, etiam si mihi exempla non praesto sunt, in quibus idem legatur.

Lib. II v. 372

In extrema eiusdem Gestaris oratione hi versus exstant:

v. 370. Tum delecta manus scutorum incendat acervos
Uranturque rates ac toto absistite ponto.
Di procul, o! merita est numquam si talia plecti
Carthago, prohibete nefas, nostrique solutas
Ductoris servate manus.

Miror, quod viri illi doctissimi, quorum interpretationes interdum spinis non carent, nihil offenderunt in v. 372, quem ne interpretatione dignum putarent. Ego quidem intellegere nequeo, quo modo lectionem traditam interpretari quis possit, ut sanus et simplex sensus evadat. Nullo alio modo nisi hoc loco vertendum esse puto: „Wenn niemals Carthago so zu büssen verdiente, so haltet, o Götter, eine Frevelthat fern, und lasst unserm Feldherrn die Freiheit.“ Vulgatam igitur lectionem corruptam esse puto, cui facillime medicina fiat, si pro „numquam“ scribamus „unquam“, ut sententiarum conexus hic sit: Wenn es Carthago je verdiente, so zu büssen, (so sei's), (wenigstens aber) ihr Götter verhindert eine Frevelthat etc. Verbum „talia“ enim spectat ad antecedentia, in quibus postulata Romanorum Gestar recenset, sed omittit id, quod summum erat, Romanos flagitare, ut Hannibal sibi traderetur. Quod nefas — ita enim significat traditionem Hannibalis — ut prohibeant, a diis precatur.

Lib. III v. 68.

Argumentum loci, quem emendare studui, paucis enarrabo.

Hannibal Sagunto everso Gades profectus est, in cuius urbis regione templum Herculis situm erat. Quod Hannibalem adeuntem multisque hostium spoliis onerantem, tum aestus marinos contemplantem facit Silius, quibus illum summopere miratum esse paucis exprimit. Deinde pergit poëta, ut ipsius verbis utar:

v. 61. Haec propere spectata duci: nam multa fatigant.
Curarum prima exercet, subducere bello
Consortem thalami parvumque sub ubere natum.
v. 68. **Quos ut seponi stetit et secernere ab armis**
Adfatur ductor etc.

Hanc lectionem exhibent omnes codices, omnes editiones, quae mihi praesto fuerunt, Rupertii, Ernestii, Drakenborchii, Lefeburii. Ex quibus hae tres verba: „ut seponi stetit" commatibus inclusa praebent, illa Rupertiana hac interpunctione caret. Illa separatio verborum significare mihi videtur viros doctos in concinnitate huius enuntiati offendisse eamque ob rem hanc sane miram interpungendi viam ingressos esse. Equidem intellegere non possum, quo modo verba ita seiuncta melius ad grammaticas regulas accommodata esse possint. Sed hoc etiam magis mirum esse puto, quod docti viri in adnotationibus nulla verba fecerunt de insolita huius enuntiati constructione, quamquam de aliis locis levioris momenti copiose agere solent. Itaque cum adhuc in nullum locum apud poëtas latinos inciderim neque in ullum pedestris orationis, quo verbum passive usurpatum cum verbo transitivo, ut ita dicam, arte coniunctum sit, ut nostro loco „seponi" et „secernere", ita ut „quos" modo subiecti loco modo obiecti positum putandum sit, versum, quamvis omnes codices consentire videantur, spurium esse puto. Conicio pro „secernere" „**secedere**" esse legendum, quod scriptura librarii parum accurata facillime ex illo verbo oriri potuisse censeo.

Lib. IV. v. 265.

In proelio equestri ad Ticinum commisso Boii, Gallorum gens, quae ab Hannibale stabat, Cryxo duce, summo furore agitati magnas strages exercitus Romani faciunt. Scipio consul, qui vehementes Gallorum impetus fortissime propulsat, Tario quodam, qui iuxta eum pugnavit, a Cryxo duce interfecto, in Cryxum ipsum, „egregios manes ulcisci parans", invadere conatur. Deinde poëta:

v. 264. Tum stimulans grato plausae cervicis honore
Cornipedem adloquitur: **Vulgum Martemque minorem**
Mox Gargane: vocant Superi ad maiora.

Sic codices omnes. Ceterorum interpretum coniecturis, quae nihil verisimile habent, omissis, ad Lenzii coniecturam adeamus in Addendis et Corrigendis a Rupertio in appendice editionis notatam. Is voculam „vulgum“ e glossa irrepsisse suspicatur et ita emendat:

Cornipedem adloquitur: tu Martem linque minorem (vel: tu mortes linque minores i. e. desine stragem edere ignobilium).

„Nos, Gargane, vocant Superi ad maiora h. e. ad Cryxum aggrediendum.“ Quae coniectura, a Rupertio improbata, mihi summopere blanditur, nisi quod sine iusta causa vir doctus longe a codicum lectione recessit eamque mutavit.

Glossam enim hoc loco facillime oriri potuisse quis est qui neget? Librarius quidam, qui legit verba: „Martem minorem“ suprascripsit vel adscripsit „vulgum“ interpretandi causa, quod „Mars minor“ pro „minus fortes milites“ raro invenitur et inprimis elegit verbum: „vulgus“ a Silio et a Livio usurpatum: legitur exempli causa Silii libr. I v. 399 eodem sensu. Incuria posteriorum librariorum haec glossa irrepsit in textum, qui nescio an aliter iam mutilatus fuerit. „**tu**“ enim post syllabam „tur“ verbi „adloquitur“ facile excidere potuit et hanc lacunam cum invenerit indoctus librarius posterioris temporis explere studuit verbo suprascripto: „vulgum“. Qua cum argumentatione alteram partem coniecturae Lenzii fulcire conatus sim, tamen negaverim verbum „linque“ a Lenzio insertum in scriptura codicum quasi fundamento positum esse. Ductus litterarum in verbis „Martemque“ et „linque“ longius a se differre arbitror, quam ut haec vocula suo iure inseri possit. Magis mihi arridet: „temne“ quod facillime post Martem excidere potuit. Versum igitur legendum esse censeo:

Cornipedem adloquitur: **tu** Martem **temne** minorem.

Es his verbis idem sensus praeclarus facillime evolvitur, qui ex verbis: tu Martem linque minorem. Qua de causa vir doctus lectionem codicum in proximo versu: „mox“ mutaverit in „nos“, animo comprehendere non possum, nisi forte quod opponi vult verba „tu“ et „nos“, ita ut disiungatur equus et eques, quod sane ineptissimum est.

Retinenda est particula „mox“ codicum auctoritate munita et totius loci conexu comprobata.

Lib. IV v. 722.

Post pugnam ad Trebiam commissam uterque exercitus in hiberna se recepit, sed Iuno Hannibalem requiescere non sinit, sed in deum Trasimeni lacus praesidem conversa ad novas res gerendas excitat. Ita Silius incipit:

Nec regem Afrorum **nascenda** ad coepta moratur
Laude super tanta monitor deus.

Quod in codicibus Oxoniensi et Puteaneo exstare dicit Nic. Heinsius „nascenda“, ipse facile mutavit in „pascenda“, cuius exemplum in eiusdem libri v. 497:

„**Pascere** nec Poenus pravum ac nutrire **furorem**“

invenisse sibi videbatur. Sed neque hoc exemplo neque a Drakenborchio ad coniecturam Heinsii firmandam ex quarto libro v. 9 petito:

„**Pascere rumorem** vulgi pavor“

mihi probatur „**coepta** pascere“ recte dici posse. Drakenborchius, cui coniectura N. Heinsii non displicet, eam in textum non recepit, sed quod primum in editione Basileensi invenitur: „**noscenda** ad coepta“.

Ex aliis Silii editoribus Lefeburius lectionem „nascenda ad coepta“ defendens satis mire interpretatur: „ad mox futura coepta“, Ernestio et Rupertio „noscenda ad coepta“ placent, cuius lectionis hanc sententiam esse Rupertuis putat: „Iuno Hannibalem non moratur, quominus i. e. exhortatur, ut consulis coepta sive conatus propius noscat eumque in Etruriam subsequatur. Sed mox ab hac sententia recedens „molienda“ pro „noscenda“ (prima syllaba verbi moliendi correpta) legendum censet hoc sensu: Iuno adhortatur Hannibalem ad praeclara sed gravis moliminis facinora obeunda pro tanta, quae inde redundet, laude et gloria“. Sed similiter mea quidem sententia explicari potest et codicum vestigia magis servat: „**navanda** ad coepta“ quod mihi in mentem venit: navare coepta vero eodem iure dici posse puto, quo „bellum navare“ et „navare flagitium“.

Lib. VI 689 sq.

Romanis ad Trasumenum foede victis Silius Hannibalem per Umbriam et Picenum aliasque Italiae regiones exercitum praeda onustum ducentem et in fertiles Campaniae agros proficiscentem facit, ubi Poenum templum Linternensium eiusque porticus, in quibus res belli Punici primi tabulis expressae essent, contemplatum esse fingit. Postquam poëta tabulam, in qua Lutatius victor captivas puppes ad litora apelleus cernitur, descripsit, ad aliam transit v. 689 sq.

„Haec inter cinctus legatorum ordine Hamilcar
Ductoris genitor, cunctarum an imagine verum
Totius in sese vulgi converterat ora.

Versus 689 genuina lectione carens varie a viris doctis tentatus coniecturisque etiam magis mutilatus est. Codices, quantum ex Drakenborchii adnotationibus patet, consentiunt in verbis tradendis: „Haec inter“ et „religatus in ordine“, dissentiunt inter se de vocula, quae post „inter“ ponenda est. Colon. exhibet: „victos“, Oxon. „iunctos“. Hos accusativos eo ortos esse, quod imperitus vel socors scriba accusativum ex praepositione „inter“ pendentem requisiverit, quis est, qui neget? Ad genuinam vero lectionem eruendam etiam sequentia verba respicienda sunt: „religatus in ordine“, quae cum codex uterque praebeat, aliquid recti certe in se habere suspicandum est. Quod hic Hamilcar religatus dicitur, cum non congruat cum alto historicorum de captivitate Hamilcaris silentio, reiciendum est. Quid faciamus? Meminerimus Silium v. 688 de captivis puppibus ad litora actis locutum esse, facillime cogitatio mentem subit, „religatus“ ad illas naves pertinere et in illis codicum scripturis: „victos“ et „iunctos“ verbum simili litterarum ductu abditum esse, quod et ad „religatus“ et ad „naves“ quadret. Hoc me iuvenisse mihi persuasi in substantivo: **vinclis**, quod hoc loco eodem sensu positum esse puto, quo in Vergilii Aen. 9,118:

continuo puppes abrumpunt vincula ripis,

ubi „vincula“ idem sibi volunt, quod „retinacula“. Quin substantivum „vincla“ cum verbo „religare“ bene coniungi possit, non dubito. Ita igitur locum restitui velim:

Haec inter vinclis religatis ordine Hamilcar etc.
quae sic verto: Darunter (nämlich: unter jenen Darstellungen) war auch das Bild, wo H., des Feldherrn Vater, (indem die Halttaue der Reihe nach angebunden waren) nach regelrechter Landung etc. Quo modo vero lectio tradita „religatus in ordine" ex „religatis ordine" exsistere potuerit, non difficile est conicere. Librarius quidam, qui „religatus" pro „religatis" legit, „in" addidit, ut plenus hexameter evaderet.

Lib. XI v. 161.

Legatis, Virrio principe, re infecta Capuam reversis, cum statim omnes consilium defectionis a Romanis inirent, Decius solus „Capuae decus" obsistit et oratione acerrima suos prohibere conatur inde a v. 160:

Itis, ait, civis violanda ad iura parentum?
Damnatumque caput temerati foederis **aris**
Iungitis hospitio?

Voculae „aris" viri docti non rationem habuisse videntur, quae si ad verbum „iungitis" pertinet, supervacaneum et molestum additamentum est; ita enim vertendum est: Ihr wollt euch an den Altären durch Gastfreundschaft jenen Menschen verbinden u. s. w. Si vero „aris" ad „foederis" adiungendum sit, nescio qua ratione ablativum vel dativum „aris" interpreter. Omnes difficultates removentur, si levissima mutatione pro „aris" legimus „**armis**", quem ablativum a participio „temerati" pendere iudico. Silius alio loco lib. I v. 648 sq. dicit de foedere per enses rupto. Ita igitur locum in vernaculam linguam transferam: „Ihr wollt euch durch Gastfreundschaft einen Menschen verbinden, der verdammt ist, weil er den Vertrag durch **Waffengewalt** gebrochen". Naevus autem hic iam in Coloniensi codice et in apographis Sangallensis inesse potuit, cum lapsu calami tantum ortus sit, qualia scripturae vitia nonnulla Blass in libello suo composuit.[1])

Versus sequentes, qui non uno mendo inquinati esse videntur, in disceptationem non vocabo, quod mihi non contigit, ut aliquam prolatis meliorem coniecturam capesserem.

---

[1]) Die Textesquellen des Silius Italicus pag. 188.

Lib. XIII v. 541.

Simile vitium atque in illo versu libri XI in versu 541 libri XIII latere mihi persuasi. Silius in descriptione decem portarum, quae regna inferorum cingunt, de quinta porta haec dicit v. 540 sq:

Proxima quos venti saevaeque hausere procellae
Naufraga porta rapit.

Hoc loco et ipso omnes interpretes tacent; nullus eorum offenditur verbo „rapere“, quod cum „porta“ coniungi posse nego. Optime contra quadrat verbum simillimum „capere“, id quod Silius ipse ita adhibuit libr. VII v. 174 cepere volentem Fumosi postes.

Hos locos ex numero eorum, quos coniciendo emendare conatus sum, selegi, quod in iis tantum me recti aliquid sensisse persuasum habeo.

VITA.

Ferdinandus Buchwald natus sum a. d. VI. Cal. Jun. anni h. s. LIII in vico Jacubowitz in confinio Silesiae Borussicae et Austricae sito patre Ferdinando, matre Ludovica e gente Attner, quibus adhuc vivis gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis instructus in quintum ordinem discipulorum gymnasii Ratiboriensis receptus sum a viro illustrissimo Scheibelo. Post septem annos et dimidium testimonium maturitatis adeptus vere anni h. s. LXXII Vratislaviam petii et civibus academicis adscriptus per novem semestria vv. dd. Caro, Dilthey, Foerster, Hertz, Junkmann, Neumann, Oginski, Pfeiffer, Reifferscheid, Rossbach, Rueckert, Stenzler, Weber scholas frequentavi, per tria semestria magna cum utilitate sodalis fui proseminarii et seminarii regii philologici, quod tum vv. dd. Hertz et Rossbach regebant. Rossbach, v. inl., ad exercitationes archaeologicas me admisit, ex quibus non parvum fructum me cepisse confiteor. His viris omnibus, in primis autem Hertzio, qui privatis consiliis benignissime me adiuvare numquam desiit, gratias ago quam maximas. Postquam a. d. XV Cal. Febr. anni h. s. LXXVIII viris doctissimis ad scientiam adulescentium, qui litterarum antiquarum studiosi sunt, tentandam publice ordinatis probatus sum, benignitate viri illustrissimi J. Sommerbrodtii, qui est a consiliis scholasticis provinciae, assecutus sum, ut patria in urbe eodem anno militis et candidati probandi, qui vocatur, munere fungerer. Calendis Juniis anni sequentis ad scholam Gorlicensem. quae Realschule I. O. appellatur, vocatus, per quinque menses collegae, qui morbo impeditus erat, vices obii. Statim ab hoc munere in collegium gymnasii eiusdem urbis receptus sum, cuius hos iam quinque fere annos socius sum ordinarius.

THESES.

1. Sil. Pun. IV v. 402 (Rup.) sic lego:
   Voce tenet **quantum ore** viget: quo signa refertis.
2. Sil. Pun. VII v. 309 sic mutaverim:
   Et vallet clausos **confertus** miles in orbe.
3. Non omnes partes librorum Caesaris de bello civili aptae sunt quae a discipulis ordinis tertii gymnasiorum cum utilitate legantur.
4. „Syntaxeos casuum et verbi" linguae graecae praeceptis, quae in gymnasiis traduntur, fines constituendos esse puto consuetudine sermonis scriptorum, qui in his scholis legi solent.





